Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 901

Quelle:
Copyright:

net faciem ſuam ſuper uos. & miſereatur ueſtri. conuertat uultum ſuum ſuper uos. & det uobis pacem. Quod ipſe preſtare dignetur. qui uos de limo terre formauit. & precioſo ſanguine ſuo redemit. cuius poteſtas permanet in ſecula ſeculorum. Amen. Haec ſaltem Sec. XIII.

CCCXCVI.

R. 3172 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 177. f. per duas columnas litera atra, grandi pulcre perſcriptus et minio diſtinctus aliud eſt *Dialogorum Gregorii* Exemplar praemiſſo IV. *Librorum* Capitulari ab hac Nota incipiente: *Dialogus cum mixto ſtilo compoſitus eſt;* id, quod de alternante *Gregorio* et *Petro* intelligendum puto. Lectio proba eſt; ſunt tamen, quae differant. Ita pro ſuperiore: *nec tamen ſe perdidiſſe meminerit*, habes *et tamen*, ita etiam *nauigauimus* pro *navigamus* &c. Ad calcem minio notatur: *Poſt hunc librum legitur ad collationem viſiones clairuallenſium*, unde Codicem a Coenobio *Novimontano* (vulgo *Neubergen*) Ord. Ciſt. ad nos delatum conjectura eſt. Quid vero nomine *Viſionum Claraevallenſium* veniat, adhuc quaero.

CCCXCVII.

R. 70 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 133. 8. probe ſcriptus, rubricis enotatus, et antea *monachorum congregationis ſancte Juſtine deputatus in monaſterio ſancti Seuerini et Soſii de neapoli*, ut habes p. 1. hunc titulum miniatum praefert: *Incipiunt capitula libri primi dialogorum Sancti gregorii pape urbis rome de miraculis patrum italicorum.* Initium Libri ipſius: *Quadam die nimis quorundam ſecularium tumultibus depreſſus* &c. Exemplum ſat emendate ſcriptum quaedam tamen paullo aliter legit, quam Edita T. II. Opp. *Gregorii Pariſ. 1705. col.* 149. f. Ita in Prologo: *in amicitiis aſtrictus* pro *amicitiis obſtrictus. Excoqui cordis merore* pro *languore. Ex condeſcenſione multorum* pro *pro condeſcenſione* &c. quae ibi inter variantes adnotata non ſunt.

II. *fol.* 132. adhaerent Quaeſtiones liturgicae X. ſequentes: *Quare a V. Feria usque ad ſabbatum ſanctum altaria ſunt nuda? Quare in VI. Feria crucifixus eſt dominus? Quare non adoratur aſina ſiue cetera talia que dominus tetigit, ut crux? Quare in paraſceue pax domini non datur? Quare in ſabbato ſancto officium celebratur in nocte? Quare clamante uoce ſacerdotis ut deſcendat uirtus ſpiritus ſancti in aquam deponuntur cerei? Quare III. dies ſunt in unoquoque ieiunio? Quare in quarta et VI. et VII. Feria eadem ieiunia celebrantur? Cum IV. ieiunia IV. tempora anni recolunt, quare aguntur in primo menſe et in quarto et in ſeptimo et in decimo, cum principia IV. temporum non ſint in his? Quare hi qui ad ordines accedunt conſecrantur tantummodo in his IV. temporibus?*